



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

3 Vtrum poßit esse actor in iudicio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Obiectio.

muni, infra recedemus: ergo cum in presenti, nullo aliud decretum irritans habeamus, non est cur vereamur ab hac etiam sententia in presenti recedere. Potest tamen in eius fauorem fieri proportionale argumentum a dignitatibus Ecclesiasticis ad seculares, nam illarum collatio est irrita ipso iure: ergo harum: si enim in suspensione iurisdictionis, & in actionibus quæ ab illa procedunt, validum est hoc argumentum, cur non in collatione ipsarum dignitatum.

Diluitur.

Sed neque hoc argumentum multum vrget. Et in primis in isto contra primam collationem; nam in Ecclesiasticis collatio dignitatis, aut beneficii, irrita est, etiam si iurisdictionem non habeat annexam, quod in secularibus dignitatibus nulla verisimilitudine dici potest: & ideo signatim locutus sum de dignitatibus, quæ ad iurisdictionis actus ordinantur, & sunt Imperialis, Regia, Ducis, Comitatus, & similes magistratus, siue perpetui, siue temporales: nam de aliis, quæ solum sunt ad honorem personarum, vel ad temporale lucrum, licet donatio illicita fiat, quatenus includit communicationem cum excommunicato (suppono enim nunc esse sermonem de excommunicato vitando) tamen semel facta non solum non est ipso iure irrita, verum neque irritanda, sed absolute firma, quia nullo speciali iure aliud statutum est: & alioqui ille tantum est quasi contractus quidam, vel simplex donatio rei temporalis, quæ excommunicato facta, valida est, vt supra ostendimus. Ac propterea Decius in cap. Intelleximus de iudiciis numer. 2. citans Cardinalem, & Ioannem Andreæ dixit, gradum Doctoratus excommunicato collatum validum, & ratum esse: quia neque iurisdictionem includit, neque vlllo iure speciali impeditur quominus collatus valeat: Quod maxime certum est de gradibus, qui auctoritate regia dantur: nam de gradu Theologiae, vel Iuris Canonici, qui dantur auctoritate pontificia, magis dubitari posset, quia magis spirituales videtur, & Ecclesiastici. Nihilominus tamen, quia non sunt proprie beneficia, aut Ecclesiastica dignitates, & de eis non est aliquod ius expressum, non est quod rigorius rem hanc interpretemur.

Decius.

Argumentum ergo illud ab spiritualibus dignitatibus ad temporales efficax non est. Ratio autem discriminis est, quia de spiritualibus iura canonica directe disponunt, vt nulli excommunicato directe conferantur, vt supra visum est. De temporalibus vero nulla est talis generalis dispositio, cuius ratio fortasse solum est, quia hæc temporalia non ita directe cadunt, seu prohibentur per excommunicationem, sicut spiritualia. De muneribus autem temporalibus, quæ iurisdictionem includunt, indirecte & solum per illationem colligimus iuxta principia iuris canonici eorum collationem excommunicato factam esse irritandam: non vero esse irritam, quia iura ipsa in illo generali principio non plus dicunt.

Gradus Doctoratus excom. collatus validus est & ratus.

Excommunicatus potest obtinere iurisdictionem alia via quam per electionem.

Atque hinc fit (quo etiam ostendit magnum discrimen inter hæc temporalia, & spiritualia) quod hæc iurdictio temporalis alia via, quam per electionem, vel liberam collationem obtinetur, nimirum, quia hæreditario iure simul cum maioratus & tanquam annexa aliis temporalibus bonis ad aliquem peruenit, reuera dominium eius, & proprietates, seu iurdictio ipsa quoad habitum vere comparatur, etiam si is, qui in hæreditate succedit, excommunicatus sit; & durante excommunicatione, suspensa, & impedita maneat; quia excommunicatio non priuat aliquem iure successionis, vt omnes docent, & supra visum est. Succedit ergo excommunicatus in hæreditate, & ideo cum illa transfertur etiam iurdictio tanquam illi annexa, sicut dici solet de iure patronatus, quod annexum est temporali hæreditati: & ideo cum illa transfertur. Et ratio et-

iam reddi potest, quia quando iurdictio hæc successione acquiritur, erat quasi radicaliter ius acquisitum ad illam, seu ad bona cui est annexa, ante excommunicationem contractam, quæ non priuauit excommunicatum tali iure, neque etiam impeditit illum. Quod maxime videtur procedere, quando successio est necessaria ex iure primogenituræ, vel alio simili. Idem autem est, etiam si successio sit ex testamento per voluntariam institutionem, quia quoad hoc testamentum imitatur naturam contractus, seu donationis à priuata persona factæ de rebus suis, quæ valida est, etiam si excommunicato fiat, & consequenter valet etiam translatio iurisdictionis, quæ ibi se habet tanquam quid concomitans, & accessorium, argum. tex. in c. Ex litteris de iure patronatus. Neque solum valet translatio iurisdictionis, quando illo modo fit, sed etiam irritari non potest ob solam causam excommunicationis, vt de contractibus, & testamentis superius diximus. Quod secus est, quando confertur per electionem, vel alium modum prouisionis ex publico munere, vel auctoritate factæ: de hoc enim loquuntur iura, quando dicunt esse irritandam. Et hæc sufficiunt de persona iudicis, & in vniuersum de iurisdictione temporalis: sub qua comprehendimus ius eligendi, & omnem aliam Reipublicæ administrationem, quæ virtute publici muneris fieri solet.

SECTIO III.

Virum Excommunicatus possit esse actor in iudicio.



Ico primo, In causa propriæ excommunicationis admittitur excommunicatus vt actor intendens probare, vel non esse excommunicatum, velesse absolvendum. Ita notat Abbas in ca. Cum inter, de Exceptionibus nu. 10. & sumitur argumentum à simili ex cap. 1. de Rescriptis in 6. vbi rescriptum ab excommunicato impetratum dicitur esse nullum, nisi in ordine ad absolutionem obtinendam fuerit impetratum: ergo similiter in presenti, in ipsa causa excommunicationis audiri poterit, dummodo seruetur regula tradita in c. Cum contingat, de Officio Delegati scilicet quod, si excommunicatus probare intendat excommunicationem fuisse nullam, audiendus est, & eius probationes admittendæ, vt ex eis constet an sit absolvens, vel non ligatus declarandus: si autem solum intendit excommunicationem fuisse iniustam, quamuis validam, non est admittendus nisi prius absoluat. Quæ regula traditur etiam in c. Per tuas, de Sententia excom. Quamuis addat, etiam in priori causa solere Apostolicam sedem premittere absolutionem ad cautelam. Quam regulariter negandam non esse docet Pontifex in c. Soles, de Sententia excom. in 6. Vnde si excommunicato petenti absolutionem denegetur, & ipse conqueratur, iniuste sibi denegari, non est dubium quin in ordine ad absolutionem obtinendam audiendus sit, & probationes eius admittendæ. Tum quia illa tunc est propria defensio: tum etiam quia illud est medium ad excommunicationem tollendam, quod maxime Ecclesia intendit. Et ideo nunquam denegat communicationem, quæ ad hunc finem tendit, vt in superioribus visum est.

Dico secundo: Excommunicatus extra causam suæ excommunicationis non potest esse actor in iudicio, siue temporali, siue Ecclesiastico. Habetur in cap. Decernimus, de Sententia excommunicationis, ibi, Ab agendo, & ideo exceptio excommunicationis respectu actoris semper, & in omni parte litis admittenda dicitur in cap. Exceptionem, de Exceptionibus. & in cap. primo eodem titulo in sexto, & ratio additur, ne quisquam in periculum animæ suæ excom.

excommunicato communicare cogatur. Quod si excommunicatio sit publica, officio iudicis repellendus dicitur, etiam si exceptio à reo non opponatur. Quod nunc existimo intelligendum, vel in casu percussione clericis, vel si excommunicatus denunciatus sit, si vero non sit denunciatus, possit quidem, si alio modo sit publicus, non tamen teneatur ex vi sui muneris illum repellere, donec exceptio obiciatur: quia non tenetur illum vitare. Atque ita etiam intelligo cap. 1. de exceptione. in 6. & Clement. vnicam eodem titulo. Item in capit. Prudentiam, §. 6. de Officio Deleg. ubi idem dicitur de excommunicato coram delegato iudice agere volente: quod vel prius absolendus sit, vel repellendus.

Et in cap. Cum inter, de Exceptionibus extenditur ad reconuentionem, nam excommunicatus tamen reus in iudicio conuictus, non potest suum actorem reconuenire: nam hoc iam est agere, seu potius reagere: reconuenire enim nihil aliud est, quam mutuo petere, argumento capitul. 2. de Muris petitionibus, & capit. 2. de Ordine cognit. Per hoc tamen ei beneficium defensionis non negatur, nam hoc & maxime naturale est, & vt feruetur aequitas iustitiae necessarium, vt in eodem capite, Cum inter, dicitur: & ideo si iudicem suspectum habeat, vt causas obicere possit ei conceditur, & similiter, si iniuste se condemnatum causetur, appellationis remedium ei non negatur, vt ibidem dicitur. At vero reconuentioni alterius non est proprie defensio sed noua accusatio. Et ideo intelligendum hoc esse de reconuentione, quae omnino sit extra causam, de qua est conuictio: nam, si sit de eadem, magis habebit rationem defensionis. Vt si actor à reo excommunicato debitorum petat, & ille respondeat iam soluisse, & cautionem ab ipso de solutione facta accepisse, iniuria tamen eius fuisse combutam, vel furto sublatam, hoc, & quidquid simile fuerit, non habet vim reconuentionis, sed defensionis. Idemque videtur esse (licet multi contradicant) si respondeat, delictum iam esse compensatum: nam compensatio quaedam solutio est, ex Lege quarta, Cod. de Compensatione, & l. si debitor, ff. Qui potiores. Et ideo compensatio potius habet rationem defensionis, & iustae exceptionis, quam petitionis, seu actionis, iuxta Legem Stex venditione, Codice de Compensatione. Et eadem ratione si Reus excommunicatus actori similem excommunicationem obiciat, aut aliam quācunque exceptionem, quae iure ipsum hab agendo repellat, audiendus est, quia illa non est accusatio, vel reconuentioni, sed defensio, quae semper conceditur, vt diximus in dicto cap. Cum inter, & sumitur etiam in capit. Significauerunt, & in cap. Dilecti filij, de Exceptionibus. Est ergo diligenter defensio à reactione, seu reconuentione distinguenda: nam haec semper, illa vero nunquam excommunicato prohibetur. Sub defensione autem comprehendimus omnem actionem inuoluntariam, vt sic dicam, id est, quoties aliquis ab illo prouocatus, ita respondere compellitur, vt necessarium illi sit aliquid petere, seu agere, aut contra alium probare: tunc enim non repellitur ab agendo; sicut è contrario infra dicemus: reum voluntarium esse repellendum: est enim in eis commutata proportio, vt ex dicendis constabit.

Ampliat autem assertio, vt excommunicatus in iudicio agere non possit, nec per se, nec per alium, scilicet, per procuratorem: tum quia moraliter loquendo qui per alium agit, ipse agere censetur: unde qui simpliciter, & sine limitatione agere prohibitus est, etiam per procuratorem agere est prohibitus: tum etiam quia cum excommunicato non solum immediate, sed etiam per alium communicare prohibemur, vt per nuncium, vel per literas: ergo multo magis per procuratorem: tum denique quia procurator nihil agit nisi alterius auctoritate:

A excommunicatus autem hac caret ad agendum in iudicio. Et ideo in capitulo ultimo de Procuratoribus, procuratio, seu institutio procuratoris ab excommunicato facta nulla esse censetur. Et ob eandem rationem, quāuis ante excommunicationem procuratio commissā sit, adueniente excommunicatione, quasi suspēditur, & vim suam amittit, quia dependet veluti in fieri & conseruari à facultate committentis, sicut in simili de potestate delegata diximus. Atque ita sentiunt Innocentius, & Abbas in dicto capitulo ultimo, Syluester verbo, Procurator, De qua re multa alia Canonistae disputant super allegata iura, quae ad conscientiae forum parum spectant, & ideo in eis videri possunt.

B Obseruandum vero nobis est, circa hanc rem nihil fere innouatum esse per Extrauagantem, Ad euitanda. Nam siue actor denunciatus sit, siue non: imo siue sit publice, siue occulte excommunicatus, agere non potest in iudicio: quia ipse semper tenetur, quātum in se est, alios vitare, neque illi concessum est vllum priuilegium. Reus vero, quāuis possit non vitare illum, tamen retinet ius suum ad vitandum, si velit, & consequenter potest illi exceptionem excommunicationis obicere, etiam si denunciatus non sit: imo etiam si non sit publica excommunicatio, dummodo ad illam probandam se offerat. Nam totum hoc iure antiquo concedebatur reo non excommunicato, per Extrauagantem autem, Ad euitanda, (quae in fauorem omnium, qui cum excommunicatis communicare volunt, condita est, & non in grauamen) non est diminutum, vel limitatum hoc ius rei, quod illi fauorabile est: At vero hoc modo cum excommunicato communicare, nempe tolerando actionem eius in iudicio, eique respondendo, non pertinet ad fauorem eius qui prouocatur, & ideo clarum est illum, moraliter loquēdo, nunquam esse vsurum hoc priuilegio Extrauagantis. Ac propterea dico nihil fere esse per illam innouatum quoad hanc partem; nisi forte respectu iudicis vt non teneatur ex officio repellere eum qui denunciatus non est. Atque ita fit, vt post obiectam à reo exceptionem excommunicationis actori, donec ille in probatione deficiat intra legitimum terminum ei praescriptum, non possit actor licite progredi, nec admitti ad procedendum in actione sua, quia quātumuis excommunicatio occulta videatur, prodest esse probabilis. Ideoque dicitur in ca. ultimo de exceptionibus. in 6. quod haec exceptio excommunicationis, lites impedit & suspendit agentis, idemque statuitur in aliis iuribus citatis. In quibus, praesertim in capite primo de Exceptione. in 6. praescribitur modus, quo haec exceptio proponenda est, & admittenda, vt fraudes vitentur eorum qui solum ad differendas lites falso haec obiciunt. Quae omnia cū ad iustitiam seruandam spectēt, & necessaria sint, sine dubio in conscientia grauitur obligant, etiam ad restitutionem expensarum, quas ob huiusmodi iniustas exceptiones actor ipse facere cogitur. In quo etiam iura citata prouident, quae iudex in conscientia seruare, & exequi tenetur.

E Per se autem loquēdo, haec exceptio tantam vim habet, vt si actor fateatur in se fuisse excommunicationis sententiam latam: nullam tamen illam fuisse, vel iniustam respondeat, id satis non fit vt statim ad progrediendum in actione sua admittatur, donec nullitatem excommunicationis sufficienter ostendat. Ita enim statuitur in capite, secundo de Sent. excommunic. in 8. in fine. In quo textu duo simul continētur, quae videntur inter se pugnantia: vnum est huiusmodi actorem pendente probationis articulo in iudiciis vitandum esse, aliud est extra iudicium in officiis, postulationibus, & electionibus, & aliis legitimis actibus non esse vitandum: Cur enim potius in illis, quam in his vitandus est? nam, si verum est, & notum excommunicationem fuisse nullam,

Innocentius
Abbas
Syluester

Quid circa
hanc rem
per Extr. Ad
euitanda ex
communicati
causantur

de Tine
el deo
grura
G. 1. n.
i in
ad a. 116.

Excommu-
nicatus et-
iam per pro-
curatorem
in iudicio a-
gere prohi-
bitur.

Iam, in vtrisque actibus vitandus non est; & quamdiu non constat fuisse validam, sicut extra iudicium non est priuandus iure suo, ita nec in iudicio, donec de excommunicatione conuincatur. Nihilominus tamen merito id statuitur, quia cum actor in iudicio sit veluti aggressor, oportet vt prius ostendat se non esse impeditum per iura ad agendum contra alium, qui ei exceptionem excommunicationis obicit: quod secus est in aliis actionibus extraiudicialibus, vbi non agit contra alium, sed iure suo vtitur.

Afferio secunda.

⁷ Quae ab excommunicatione non repellitur in iudicio aguntur sunt valida.

⁸ Etiam si excommunicatio sit publica.

Dico Secundo. Ita est prohibitum excommunicato in iudicio agere, vt tamen si agat, & non repellatur, neque ei obiectio excommunicationis opponatur, valida sint omnia, quae in tali iudicio acta fuerint. Ita colligitur aperte ex capite, primo de Exceptionibus in 6. ubi, *Sed si post rem iudicatam talis exceptio proponatur, executionem impedit: sed sententia, quae praestit, non minus robur debitum obtinebit*, scilicet, quam si tempore litis, & lata sententia excommunicatus non fuisset: hic enim est simplex sensus vt Glossa, & interpretes etiam exponunt: ergo non obstante excommunicatione acta in iudicio valida sunt. Non desunt vero, qui putent illud esse ius nouum, nam ex iure antiquo talia acta inuolida erant, vt ibi notat Glossa verb. *Duraturis*, & in capite. *Exceptionem*, de Except. vbi huc videtur esse communis sententia. Sed nec existimo esse satis fundatam: hec nostra refert: satis est enim quod de facto illa sic acta valida sunt. Quod verum est, etiam si excommunicatio alias publica sit, vt notauit Abbas in ca. *Intelleximus*, de Iudiciis, quia notitia, vel fama excommunicationis non reddit personam magis inhabilem. Ratio denique est, quia quamuis actor ex generali ratione priuationis communicationis humane ad iudicio repellatur, nullum tamen est speciale ius, quod irriteret omnia quae sunt ad petitionem excommunicati quamdiu illi excommunicatio non obicitur. Neque ex parte actoris interuenit priuatio iurisdictionis, quae in iudice inuenitur, vt ob eam causam acta illa nulla censenda sint: ergo nulla est sufficiens ratio ob quam huiusmodi acta censeri possint irrita. Quae ratio pro similibus questionibus aduerenda est, & applicanda: & in proposito probat, non solum in causis ciuilibus, sed etiam in Ecclesiasticis, excommunicationem actoris non reddere irrita ea quae in iudicio aguntur, quia de neutro iudicio id statutum inuenitur.

³ Dices, Citatio facta ad petitionem excommunicati notorj valida non est, quandoquidem non obligat alium ad comparandum: quia hoc esset obligare illum ad communicandum cum excommunicato, quod repugnat: ergo eadem ratione reliquae actiones nullae sunt: quia non est maior ratio de ceteris, quam de illa prima, quae est veluti fundamentum aliarum. Respondetur eam actionem esse inuolida, quantum ad absolutam vim obligandi, vt argumentum probat: non tamen simpliciter: quia, si reus sic citatus comparere velit, illa citatio sufficit ad causam proseguendam, donec obiciatur exceptio. Quod si reus, sic citatus nolit comparere, saltem obligabitur causam reddere suo superiori, excommunicationem obiciendo. Atque hoc fere modo reliquas omnes actiones validas dicimus: semper enim relinquunt liberam facultatem obiciendi praedictam exceptionem, tamen si illa non interponitur, ille valide manent, suspenduntur vero statim a talis obiectio fit. Adeo vt, licet fiat post sententiam latam executio suspendenda sit, iuxta dictum caput primum de Exceptionibus in sexto. Obstant autem absolutione tollitur suspensio, vt possit in lite, vel executione progredi ab eo puncto in quo interrupta fuerat.

A Ex his autem potest inferri non esse peccatum mortale per se loquendo, & ex vi solius excommunicationis, si excommunicatus ius suum petat in iudicio, illudque prosequatur, donec per exceptionem excommunicationis iuridice repellatur. Dico autem, *per se loquendo*: quia si interueniat iniustitia ex parte causae, quae proponitur, vel dolus, & fraus in repellenda exceptione, vel quippiam simile, ex eo capite esse poterit peccatum mortale. At vero, si quis petat rem iustam, & alioqui sibi debitam; & bona fide procedat, & absque contemptu Ecclesiasticae censurae, solum veluti ex humana fragilitate ob rem suam recuperandam, non videtur esse mortale crimen. Et quoad hoc est probabilis sententia Caietani superius citata, quae maxime procedet, si causa litis non sit admodum grauis, nec diuturna, ita vt sine continua, vel magna communicatione agi possit. Deinde, si aliquae rationes, seu causae graues intercedant, quae tales interdictum esse possunt, vt non solum sine graui culpa, verum etiam sine culpa, & possit agere excommunicatus, & ipse iudex possit, & debeat illum admittere, praeterim secularis, qui potestatem non habet ad absolendum illum, etiam ad illum actum. Huiusmodi autem causa erit, si magnum praedictum, & periculum grauis damni imminet auctori ex dilatione, & mora, si prius ei procuranda sit absolutio quam in iudicio audiat, vt si moraliter timeatur fuga debitoris, nisi iudice capiatur, vel si aliquid animae periculum timeret, nisi per iudicem ei subueniatur. Nam in huiusmodi euentibus non tam potest dici agere, quam se defendere, & tueri, & ad hoc iudicis officium implorare: quod semper ei licet, vt in citatis iuribus dicitur. Item, quia ob vitandum graue damnum licitum est excommunicato communicare cum aliis, & aliis cum ipso, quando est periculum in mora, si expectetur absolutio: ergo eodem titulo licebit tali excommunicato agere, & iudicium illud admittere. Quod etiam Abbas, & Alij Canonistae concedunt in dicto capite. *Cum inter*, de Exceptionibus, & in aliis locis supra citatis.

SECTIO IV.

Utrum Excommunicatus possit ad iudicium cogi vt reus.

Rincipio dicendum est, excommunicatum posse compelli in iudicio esse tanquam reum, non solum in causa ipsius excommunicationis, quod per se notum est, sed etiam in quacunque alia, in qua fuerit prouocatus, seu postularus. Haec est communis, & certa sententia, & aperte traditur in cap. *Intelleximus*, de Iudiciis, vbi & ratio redditur, quia excommunicatus non debet commodum ex sua contumacia reportare: magnum autem esset illi commodum, si vel pro debito, vel pro crimine conueniri non posset, & ad comparandum compelli. Ex qua absoluta decisione, & ratione eius colligere licet, teneri excommunicatum reum, posseque compelli ad praestandum in iudicio ea omnia, quae cogi posset efficere, si excommunicatus non esset, vt verbi gratia, respondere, parere, &c. Patet, quia si aliqua in re excusari posset propter excommunicationem, quantum ad id commodum reportaret: at nulla in re sentire debet commodum ex contumacia, & excommunicatione. Item, quia qui ad principale obligatur, etiam ad ea quae necessario sunt illi coniuncta, & ad quae praecipue ordinatur, consequenter obligandus est: sed comparere in iudicio non est nisi propter actiones, quae inde consequuntur, & quae sunt veluti necessario concomitantes huiusmodi citationem, quia alias frustranea esset, & inutilis, ergo.

Hinc